

et mulierem a lege, et a legis obligatione, dicitque per mortem viri extinguere obligationem legis. Ut ergo possit accommodari parabola, necesse est ut lex desierit obligare per mortem alterius, qui sit vir, et a lege distinguatur. Etenim si Paulus solum diceret per mortem legis liberatos esse Judæos ab viro obligatione, quid conducebat exemplum de et uxore, aut quæ probatio erat dicere, nos esse mortuos legi, quia lex ipsa mortua est?

18. *Ultima expositio.*—Est ergo ultima expositio, quæ fortasse magis declarat præcedentem synagogam ipsam, seu Israeliticam rempublicam, seu populum aut imperium, fuisse virum cui singuli de illo populo uniebantur et conjungebantur, et in hoc uxori comparantur: mortua est autem synagoga per corpus Christi, et consequenter extincta est lex, et omnes qui erant de illo populo liberati sunt a lege viri. Hanc expositionem colligo ex Anselmo ibi dicente *virum fuisse Moysen*; non enim intelligi potest de persona, sed de imperio (ut sic dicam) vel de republica illa a Deo per Moysen congregata et fundata, et ab ipso Deo in peculiarem populum assumpta; illi enim copulabantur singuli Judæi tanquam corpori suo et tanquam capiti: ideoque merito comparatur illa unio cum vinculo uxoris ad virum. Illa vero respublica seu synagoga per Christum dissoluta est, et in alium statum mutata, quæ fuit veluti mors ejus; illa vero mortua, fuit lex mortua, et consequenter omnes de illo populo mortificati fuerunt legi, id est, ab illius jugo liberati. Sic ergo recte accommodatur exemplum; licet enim a Paulo non fuerit expresse declaratum, implicite et concise satis indicatum est in illis verbis: *Itaque, fratres mei, et vos mortificati estis legi per corpus Christi.* Neque refert quod Paulus non concludat legem esse mortuam, sed nos esse mortificatos legi; nam perinde est; ideo enim mortificati sumus legi, quia lex ipsa suam vim in nos amisit; Paulus autem posuit ultimam conclusionem intentam, ut in ea omnes veluti illationes intermediæ subintelligerentur. Et, ut Theodoretus ait, noluit tam aperte dicere legem fuisse mortuam, ne Judæos offenderet, aut ne videretur legem reprobare. Atque ita explicatus hic locus in re ipsa reducitur ad illum Hebræor. 7: *Translato sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat*; et virtute continet rationem qua supra, cum D. Thoma, usi sumus ad probandum judicialia cessasse, quia mutato statu illius po-

puli per Christi adventum, consequenter evacuata sunt.

19. *Solvitur objectio supra facta.*—Denique facile solvitur objectio supra facta, fundata in verbis illis, *Per corpus Christi*, quæ etiam varie exponuntur; omnibus autem modis confirmant expositionem datam, et nihil obstant intentioni nostræ. Primo enim interpretari possumus, *Per corpus Christi*, id est, per veritatem quam Christus fecit, juxta illud: *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est*, Joan. 1. Et explicatur optime ex simili loco Pauli ad Col. 2, ubi de legalibus cæremoniis ait: *Quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi*, id est, cæremoniæ legales sunt umbrae et figuræ: corpus autem, id est, significatio et veritas earum sunt mysteria Christi. Per hoc ergo corpus Christi dicere potuit Paulus nos esse mortificatos legi, quia adveniente veritate illius umbrae, umbra disparuit. Et juxta hunc sensum cessat objectio, quia ibi non est specialis sermo de morte Christi, sed de adimplerione et cessatione legis per veritatem a Christo factam, quæ extendi potest ad tempus resurrectionis, et ultra, ut statim dicemus.

20. Secundo, exponitur illa verba de corpore Christi mystico, quod est Ecclesia, ut indicavit D. Thomas ibi dicens: *Per corpus Christi, id est, per hoc quod facti estis membra corporis Christi, consepulti ei per Baptismum*, etc. Ubi observandum est hanc mortem legis dupliciter considerari posse; uno modo secundum se et in generali, veluti quoad sufficientiam; alio modo quoad efficaciam, prout applicatur huic et illi homini, qui dicitur mortificari legi. Isto ergo posteriori modo dicuntur fideles mortificari legi per Baptismum, quia per illum efficiuntur membra Ecclesiae, quod est corpus Christi. Priori autem modo lex mortua est per corpus mysticum Christi, quodratque optime cum dictis; nam Christus, instituendo et fundando novam Ecclesiam, synagogam destruxit, et consequenter legem de medio abstulit. Et ita etiam cessat objectio; nam Christus non fundavit plene suam Ecclesiam, dum vixit, nec in tempore mortis; multa enim fundamenta ejus post resurrectionem jecit, et postea legem suam promulgare fecit, et ideo necesse non fuit in morte Christi statim legem extinguere, quia non statim synagoga destructa est.

21. Tertio, exponitur frequentius, ut dixi, locus ille de Christi corpore pro nobis crucifixo, et est optima expositio et verissima sen-

tentia, quia per virtutem et efficaciam passionis Christi mortificati sumus legi, vel lex ipsa mortua est. Ad occurrendum autem replicæ factæ, potest in præsentem applicari distinctio data; nam quoad sufficientiam, in ipsa morte Christi mortua est lex; quoad efficaciam vero, seu cum effectu, non statim, sed postea tempore congruo mortua est, virtute ejusdem corporis Christi, seu mortis ejus, et unicuique fidelium applicatur cum effectu hæc mortificatio per fidem Christi et Baptismum. Neque refert quod, in allato exemplo, per mortem viri efficaciter et statim solvatur mulier a lege viri, quia (ut dixi) non comparavit Paulus mortem Christi cum morte viri, et ideo non dixit in morte Christi, sed per corpus Christi tanquam per causam sufficientem ad extinguendam synagogam, quæ viro morienti comparatur: synagoga autem non statim mortua est in ipsa Christi morte, sed postea congruo tempore: neque aliud ex verbis, aut comparatione, aut intentione Pauli colligi potest.

22. *De secundo puncto.*—*Confirmatur sententia Soti.*—Ex his autem quæ de hoc primo puncto illius primi temporis diximus, facile est cætera quæ ad secundum punctum supra positum pertinent expedire. De illo enim fuit opinio Dominici a Soto, loco supra commemorato, legem veterem abrogatam fuisse in puncto resurrectionis Christi, et non antea neque post illam. Fundatur, quia mysterium salutis nostræ non statim in morte absolutum fuit, sed in resurrectione; ergo tunc etiam cessavit lex. Antecedens patet, quia nostra salus duos requirit terminos, scilicet, mori peccato, et resurgere in novam vitam: at, teste Paulo, Rom. 7: *Christus mortuus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram*; ergo. Confirmatur, quia lex vetus non solum mortem peccati, sed etiam resurrectionem in novam vitam præfigurabat, ut etiam de circumcisione supra ex Cypriano retulimus: ergo lex vetus in resurrectione cessavit. Juvare denique potest loco Pauli proxime tractato ad Roman. 7: *Mortificati estis legi, etc., ut sitis alterius quæ ex mortuis resurrexit*; ergo hæc mortificatio Christi resurrectionem supponit. Hæc vero sententia, intellecta in rigore de puncto resurrectionis, vera non est, nec consequenter defenditur, stante illo principio, quo pro constanti posuit Soto, legem veterem non desiisse obligare donec nova coepit obligare.

23. *Lex vetus mortua non fuit in puncto resurrectionis, sed post illud obligavit.*—Unde

dico secundo: lex vetus non fuit mortua in puncto resurrectionis, sed aliquo tempore post illud obligavit. Probatur, quia lex nova non plus obligavit in puncto resurrectionis quam in puncto mortis Domini; ergo non magis potuit lex vetus cessare in uno quam in altero. Consequentia evidens est, supposito dicto principio. Antecedens autem probatur, quia lex nova non fuit magis promulgata hominibus in puncto resurrectionis quam mortis Christi. Nulla enim promulgatio illius legis facta vel addita est in illo triduo, ut per se notum est: si ergo vivente Christo in vita mortali satis esset promulgata lex nova, in morte Christi etiam obligasset, quia lex sufficienter edita et promulgata obligat, nec est aliud quod expectetur; si autem ante Christi mortem promulgatio sufficiens non præcessit, et ideo in ejus morte non obligavit lex nova, profecto nec in tempore resurrectionis fuit sufficiens promulgatio novæ legis, et consequenter nec ejus obligatio. Nam etiam lex divina positiva non obligat ante sufficientem promulgationem, ut ipse Soto ibidem fatetur, et libro sequenti latius dicemus, ubi etiam ostendemus legem novam non obligasse ab instanti resurrectionis: ergo neque tunc cessavit obligatio legis antiquæ.

24. *Fundamentum Soti quid probat.*—Fundamentum autem pro Soto adductum probabiliter ostendit ante resurrectionem non cessasse legem veterem, non tamen probat statim in resurrectione cessasse. Nam mysterium nostræ salutis duo requirit. Unum est solutio sufficientis pretii per meritum et satisfactionem Christi, aliud est applicatio illius redemptionis, non solum ex parte nostra, sed etiam ex parte ipsius Christi, quoad aliquas actiones quas in ordine ad hanc applicationem in generali spectatam exercuit. Quod ergo ad primum spectat, revera fuit redemptio plene consummata in morte Christi præscindendo a resurrectione. Ab illo enim puncto nihil aliud meruit Christus Dominus, aut satisfecit. Quia in puncto mortis finita est via, et extra viam non est proprium meritum, vel satisfactio, ut in 4 tom. 3 partis latius dictum est. Unde ante resurrectionem janua cœli aperta fuit, et animæ sanctorum Deum videre cœperunt. Si autem ultra sufficientiam et plenitudinem redemptionis consideremus omnia mysteria, et omnem modum quo Christus Dominus suas actiones et mysteria ad nostram salutem, ejusque executionem ordinavit, non est sistendum in resurrectione: nam etiam Christus Domi-

nus ascendit propter glorificationem nostram, et misit Spiritum sanctum ad novæ legis promulgationem et confirmationem, et ad perfectam ejus gratiæ communicationem quam nobis meruerat; ergo, eadem ratione, non debuit cessare lex vetus, donec ista omnia mysteria perficerentur. Unde nihil urget confirmatio; nam lex etiam vetus et cæremoniæ ejus non tantum mortem et resurrectionem, sed etiam Ascensionem, Spiritus sancti Adventum, vocationem gentium, et alia mysteria nostræ salutis prophetabant et significabant: ergo vel sistendum est in morte, vel ultra resurrectionem progrediendum. Neque vero necessarium fuit ut omnes figuræ illius legis implerentur ante abrogationem ejus; alioqui non cessasset, donec multa alia mysteria complerentur, quod nimium et absurdum est; alias usque ad ultimam resurrectionem hominum non fuisset mortua, quia illam etiam præfigurabat. Non fuit ergo necessarium ut omnes figuræ essent impletæ, sed illæ quæ erant de præcipuis mysteriis; neque etiam hoc solum attendendum est, sed maxime ad promulgationem necessariam ad novæ legis introductionem, et exclusionem alterius.

25. *Lex vetus non fuit abrogata usque ad diem Pentecostes.*—Dico ergo tertio: lex vetus non fuit abrogata toto tempore post resurrectionem usque in diem Pentecostes. In hac propositione non invenio contradicentem, extra allegatos auctores, neque etiam invenio difficultatem aut rationem dubitandi, supposita resolutione in puncto præcedenti tradita. Quia non fuit lex nova promulgata in illis quinquaginta diebus post resurrectionem, magis quam in die Resurrectionis, ut ex Evangelio et Actibus Apostolorum constat: ergo nec lex nova magis obligare incepit in illis diebus usque ad Pentecostem exclusive, quam in resurrectione: ergo nec lex vetus illis diebus abrogata est. Utraque enim consequentia evidens est ex principiis positis: et ideo nihil amplius de hac assertionem dicere necesse est, nec difficultatem in illa invenio, cui respondere necesse sit. Per has autem propositiones omnes, solum explicatum est quibus temporibus non fuerit abrogata lex vetus, et consequenter illam obligasse usque ad diem Pentecostes, saltem exclusive. Superest ergo dicendum an in die Pentecostes desierit obligare, vel saltem cœperit abrogari.

26. *Punctus difficultatis aperitur.*—*Triplex modus dicendi.*—*Primus.*—*Secundus.*—*Tertius modus dicendi verus est.*—*Hæc sen-*

*tentia approbatur.*—In hoc ergo puncto tres modi dicendi esse possunt. Primus est, legem veterem in die Pentecostes fuisse omnino mortuam, id est, pro universo mundo, et pro quocumque loco in quo erant Judæi dispersi. Hæc vero sententia habet difficile fundamentum, videlicet, legem novam tunc obligasse universum orbem, quod nobis verisimile non videtur, pertinet vero ad librum sequentem, et ideo in illum locum impugnationem illius fundamenti remittimus, quo destructo, ruit jam hic modus dicendi, ex alio principio supra posito, quod lex vetus non desit obligare nisi quando lex nova obligare incepit. Secundus modus dicendi est legem veterem obligasse Judæos usque ad perfectam Evangelii promulgationem, ideoque in die Pentecostes nec mortuam fuisse, nec cœpisse abrogari. Hæc vero sententia supponit duo principia: unum est, legem veterem non fuisse mortiferam usque ad illud tempus; aliud est, non prius fuisse mortuam quam mortiferam, quæ duo inferius examinanda sunt: nam hic non possent sine confusione tractari, et ideo sententiam hanc falsam esse supponimus, quod capite decimo-octavo ostendemus, impugnando præcipue illud secundum principium. Tertius modus dicendi, est abrogationem legis veteris cœpisse in die Pentecostes, non tamen simul factam esse pro toto orbe, sed successive crevisse, crescente promulgatione legis novæ, consummatamque esse quando legis novæ promulgatio pro Judæis saltem consummata est. Quæ fuit sententia Bonaventuræ, Scoti, et sequacium in 4, distinct. 3; sumiturque ex Bernardo, Epistol. 77, et Hug. de Sancto Victor., lib. 2 de Sacram., part. 6, cap. 4. Et illam existimo esse veram ex illo principio, quod obligatio legis veteris exclusæ est quasi formaliter respectu Judæorum per obligationem legis novæ. Quod ex parte in superioribus probatum est, scilicet, quoad hanc negationem quod non prius desierit obligatio alterius. Quoad aliam vero partem quam includit, videlicet, nunquam durasse, seu permansisse simul obligationem utriusque legis, ostendetur in capitulo decimo-octavo, quia oportet prius alia declarare. Et ulterius pendet hæc sententia ex alio fundamento, nimirum, obligationem legis novæ ita fuisse in mundum introductam, ut non simul universum obligaverit, sed in die Pentecostes cœperit in Jerusalem, et postea successive creverit, prout Evangelii verbum divulgabatur. Hoc vero fundamentum in libro sequenti tractandum est, et ideo

de hoc puncto nihil in præsentis amplius dicam.

## CAPUT XIV.

UTRUM LEX VETUS NON TANTUM MORTUA, SED ETIAM MORTIFERA SIT.

1. *Duplex revocatio.*—*Mortua lex quæ.*—*Mortifera quæ.*—*Sententia communis.*—*Confirmatur.*—Duobus modis potest lex aliqua revocari. Primo, quasi privative tantum, aufereudo solum imperium et obligationem ejus; secundo, quasi contrarie, prohibendo usum ejus etiam materialiter, ut sic dicam, id est, prohibendo opus illud quod antea præcipiebatur, vel præcipiendo quod prohibebatur. Quando igitur lex priori tantum modo abrogatur, dicitur mortua; quando vero posteriori modo tollitur, dicitur mortifera, quia illius observatio mortem animæ afferret. Est igitur sensus, utrum non solum non teneantur Christiani legem illam servare, verum etiam teneantur illam non servare. Et ita quæstio universalis est de omnibus Christianis, tam ex gentibus, quam ex Judæis originem trahentibus, quia eadem est ratio de omnibus. Non est tamen ita universalis quæstio de omnibus præceptis illius legis. Nam de præceptis moralibus certum est non esse mortifera, cum potius necessarium sit illa præcepta servare in lege evangelica. De judicialibus etiam docet divus Thomas, dicta quæst. 104, art. 3, non esse mortifera, licet sint mortua: cujus sententiam in hoc omnes sequuntur. Et potest usu confirmari, quia nonnulla præcepta judicialia retinentur nunc in lege evangelica, ut sunt aliqua impedimenta matrimonii, quota decimarum, et similia. Ratioque redditur, quia judicialia non ordinantur per se ad significandum, sed ad politicam utilitatem, etiam secundum speciales ac proprias rationes suas, et ideo simpliciter possunt ad eundem usum acceptari ab habentibus potestatem.

2. *Difficultas de cæremonialibus.*—*Ratio dubitandi.*—Tota ergo hæc quæstio ad cæremonialia præcepta revocatur, an in lege gratiæ non solum mortua sint, sed etiam mortifera. Ratio autem dubitandi esse potest, quia si mortifera sunt, hoc debet oriri ex aliquo præcepto positivo, naturale enim non est, ut per se constat, quia observare illam legem non erat per se et intrinsece malum: unde si Deus voluisset, potuisset illam simul cum Evange-

lio relinquere. Oportet ergo ut prohibitio positiva sit; at hæc nulla apparet: aut enim est juris divini aut humani; non primum, nullibi enim scriptum est, nec traditum, quia tempore Apostolorum non erat tale jus divinum, ipsi enim observabant legalia, ut videbimus. Secundum etiam et habet eandem difficultatem, et non satis est: nam si hæc esset tantum præceptum humanum, posset revocari illud, et legalia servari, quod dici non potest.

3. *Mortiferum nunc legis veteris cæremonias servare.*—Nihilominus dicendum est esse mortiferum nunc servare legis veteris cæremonias. Hæc assertio est certa de fide, eratque jam temporibus Augustini et Hieronymi, ut constat ex Epist. 89 Hieronymi, et 19 Augustini. Unde cum Hieron. in Epistola Augustini legisset licere Judæis ad fidem conversis legalia cæremonias servare, ausus est ad Augustinum scribere se legisse in sua Epistola aliquid quod sibi hæreticum videbatur; Augustinus autem respondit explicando mentem suam fuisse loqui de illo duntaxat tempore quo primum gratia fidei revelata est. Et addit progressu temporis factam esse mortiferam illam legem. Magnaque asseveratione affirmat Hieronymo se nunquam aliud sensisse, et ante Hieronymi admonitionem, scribendo contra Faustum, ita mentem suam declarasse, sentiens dogma hoc pertinere ad fidei veritatem. In eadem sententia est Ambr., Epist. 4 et tribus sequentibus; sunt etiam alii Patres infra referendi; et in cap. *Majores*, de Baptism., opposita sententia vocatur hæresis damnata, utique in Cerintho, Ebione, et Nazaræis, fere a principio nascentis Ecclesiæ, teste Hieronymo supra, et consentiente Augustino, qui in libro de Hæresibus ait hoc ex Ecclesiæ traditione constare. Præter hoc vero potest fundari hæc veritas in testimoniis Scripturæ, quibus ostendimus legem veterem cessasse, adjuncta Ecclesiæ intelligentia, quæ interpretatur ita cessasse, ut non solum non obliget, sed etiam non liceat, nec Deo placeat usus illarum cæremoniarum, juxta illud Psalmi 39: *Sacrificium et oblationem noluisti*, etc. Quod ita interpretatus est Paul. ad Hebr. 10, et late prosequitur Justin., Dial. cum Triph.; et Aug. in enarratione ejusdem Psalmi. Et eodem modo expendit Hieronymus testimonium supra tractatum, Jer. 31: *Ferriam, vel, consummabo domum Israel, et domum Judæ testamentum novum, non secundum testamentum quod disposui Patribus eorum*. Ex quo colligit Hieron. legalia esse mortifera